

C A P U T V

De charactere muneris pastoralis et conditione juridica parochiarum fran- ciscalium in croaticis regionibus

Praemissa historico-juridica consideratione officii et juris parochialis Franciscanorum in Croatia, ulterior quaestio-
nis perpensio superflua videri posset. Attamen, ob speciales aspectus, quibus tota res subjacet, ob aliquas possibles objectiones vel dubia quae oriri possent, necessarium esse duximus in finali capite de ipso charactere muneris pastoralis, necnon de natura juridica parochiarum franciscalium considerationem instituere.

In decursu enim tractationis saepius nomen missionis pro Bosna et Hercegovina obviam habuimus, ipsam institutionem Vicariatus Apostolici, regionis ecclesiasticae subjectionem S. C. de Propaganda fide, ac insuper aliquoties tendentiam et expressiones Franciscanorum se esse missionarios, provinciam missionariam, parochias stationes missionarias. Ideo imprimis necesse est videre, an et quo sensu Bosna et Hercegovina terra missionum dicenda sit, ut exinde character etiam actionis pastoralis Franciscanorum in ipsis parochialis vel missionarius discerni possit.

Praeterea, decursu temporis Franciscani et episcopi in croaticis regionibus varios fontes sui juris ad parochias deducunt, ac variis nominibus illud insigniunt, v. g. jus patronatus, parochiae adnexae conventibus, vel mensae conventus, vel simpliciter esse unitas conventibus; guardianum v. g. in Bosna vocabant aliquoties parochum parochorum; vel solum jus nominandi, praesentandi ac transferendi parochos ex legibus a S. C. de Propaganda fide latis defendunt. Propterea ponderatis rationibus finaliter dijudicandum est,